



294

Handwritten text from the reverse side of the page, partially obscured by the binding. The text is written in a Gothic script and includes the words "D", "I", "S", and "S" separated by red vertical lines.





79

# RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ituris Exeqvias

*Incomparabili Theologo*

Dn. D. HIERONYMO KRO-  
MAYERO,

Prof. Publ. primarius, suæ Facultatis De-  
cano, ejusdemqve ut & Præsulatûs Ingenui Misnen-  
sis, ac Nationis Misnicæ Seniori, Consistorii Electoralis ac  
Ducalis Saxonici Assessori, Collegii Minoris Principum Col-  
legiati, Alumnorum Electoralium Ephoro, Acade-  
miæ Decem-Viri,

20

22



RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIAENSIS

DR. D. HIERONYMO KRO.

PROF. PUBL. PHISICIS, MATH. ACUT. LIPSI.







Casuum vices!  $\delta$  rerum humanarum inconstan-  
tiam! Concussa superiore anno per obitum corda-  
tissimi REINHARTI Facultas apud nos Theologi-  
ca, suis quatuor columnis vix iterum stare coeperat;  
& novam nunc in solidissimo KROMAYERO facit  
ruinam! Calendæ Junia novum se cathedræ Professore inferen-  
tem Ordini Venerando gratulabantur; tertius continuò dies è Ve-  
teribus primum non cathedrâ magis, quàm vitâ exturbat. Nolite,  
Cives Academici, cladem hanc parvam existimare. Percellit ea nos  
non modò, quia repentina est, nec ita plurium dierum ægrotatio-  
nem insecuta: sed multò magis, quia gravissimo vulnere militan-  
tem his in terris Ecclesiam affligit. Enimverò primarium Theolo-  
gum non Academia tantùm nostra, sed ipsa Respublica luget Chri-  
stiana. Nec errabit, qui dicet, amisisse nos HIERONYMUM seculi  
nostri. Favet nomen Viri Beati: favent merita. Equidem fortasse  
non hoc spectaverat quondam Parens ejus, cùm nomen illi de suo  
nomine inderet, quem simile vero est id egisse potius, ut in filio se  
intueretur, filium vicissim communicatione nominis ad æmula-  
tionem paternarum incitaret virtutum. Sed intervenisse tamen ar-  
canum DEI consilium quoddam eventus confirmat, id procuran-  
tis, ut vel augurio nominis admoneretur grata in Summum Theo-  
logum posteritas, cum quo è priscis Ecclesiæ Latinæ Doctoribus  
ipsum contenderet. Quatuor hi memorantur præcipui passim atq;  
cardinales. Solent enim Hieronymo addi Ambrosius, Augustinus,  
Gregorius. Memorantur autem tantâ cum fiducia celebritatis ju-  
xta & sanctitatis eximia, ut reperti sint, qui Apocalyptica illa qua-  
tuor animalia, quæ vulgò quatuor Evangelistis accommodantur in  
picturis etiam templorum publicis, ad hanc transferrent Latino-  
rum Patrum quadrigam. Neque adeò dubitari potest, quin hi Qua-  
tuor-Viri emineant inter ceteros eloqvii Latini Doctores Eccle-  
siasticos. Cumque suæ virtutes ita exornent singulos, ut pares ha-  
beri queant: haud rarò tamen unum anteferri cæteris videas Hiero-  
nymum. Tanta certè fuit ipsius autoritas, ut Bethlehemiticum il-  
lud antrum, in quo vertendis & explicandis codicibus sacris, oran-  
doque & psallendo annos circiter viginti Vir sanctus vacaverat, quasi  
publicum Christiani orbis oraculum haberetur, & ab ejus judicio,  
quis-

*Apoc. 4, 7.*

*teste Joh. da  
Sylveira in A-  
poc. c. 4 f. 308.*

*Beat. Kromay.  
Hist. Eccles.  
p. 204.*



*Sidon. IV.  
Epist. 3.*

*Kemp. c. 5. bit.  
bon. mon. p. m.*

*722.*

*Saresb. VII. Po-  
licr. 10. in fin.  
p. 381.*

quisquis in assequendo loco hærebat Biblico, penderet. Ad Clau-  
dianum Mamertum scribens Sidonius Apollinaris, plusculosque  
memorans Ecclesiæ scriptores, quibus propria singulis encomia  
dividit, neminem tamen priorem nominat Hieronymo. Nec alio  
eum loco inter quaternos, quos indicavimus, cardinales Patres re-  
censet Thomas à Kempis, quam primo. Joannes verò Saresberien-  
sis clarissimo eum insignit elogio Doctoris Doctorum. Non invi-  
debit hunc eundem titulum Kromayero, quicumque reputabit, ne-  
minem vivere jam in Academia nostrâ S. Theologiæ Licentiatum,  
neminem Doctorem, cui non Præceptor ipse ac Promotor contige-  
rit. Porrò eadem illa, quæ Hieronymo tantum splendoris pepere-  
runt, illustre quoque Nostri nomen effecere. Trium linguarum, La-  
tinæ, Græcæ, Hebraicæ eximiam peritiam habuit Hieronymus.  
Habuit & Noster. Diffusissima sacræ pariter & profanæ historiæ  
notitia in Hieronymo fuit, adeò ut affirmatum ab aliquo sit, nul-  
lum hominem scire, quod ignoraret ille. Ad hanc Hieronymi lau-  
dem quisquamne est, qui propius atque noster accesserit? Cujus  
cum nulla pars fuerit vitæ, quam non impenderit literis, adeò scien-  
tiarum omnium latices exhaustit, ut incredibili accedente vi memo-  
riæ, quæ ne senem destituit quidem, ex promptum haberet, quicquid  
usus deposceret. Acerrimus fidei defensor fuit Hieronymus ad-  
versus hæreticos. Fuit & noster, sed sine felle, sine verborum acer-  
bitate. Plurima misit in literas Hieronymus. Nec noster, siquidem  
otium utriusque ac vivendi spacia compares, pauciora. De quibus  
vulgata jam sunt per Typographos, Commentarius in Apoca-  
lypsin: Historia Ecclesiastica: Theologia Positivo-Polemica: Loci  
Anti-Syncretistici: Polymathia Theologica: Disputationes mul-  
tæ ac variæ de selectissimis tam in Philosophiâ, quam Theologiâ  
argumentis: duæ insuper Disputationum Decades de Apostasiâ  
Ecclesiæ Romanæ in mysterio peractâ, seu de successivâ & clande-  
stinâ errorum Papalium in Ecclesiam introductione: Disputatio-  
nes item decem Scrutiniî Religionis, quas tredecim animo designa-  
verat, sed ultimas præventus morte partim publico sistere non po-  
tuit, partim ne privatis quidem schedis mandare. Luculentus quo-  
que in Epistolam Pauli ad Galatas Commentarius inchoatus qui-  
dem ab operis est, sed absolvi nondum potuit. In scriniis adhuc fer-  
vantur



vantur, Collegium Mathematicum: Collegium Historico-Philologicum  
& Philologicum: Collegium Hæresiologicum: Literæ multiplices  
ad Amicos de Syncretismo præcipuè, ac de Qvæstione: num pax  
inter Ecclesias controvertentes possit salvâ conscientiâ stabiliri?  
Servantur & alia opuscula qvâmplurima, qvæ longum sit enume-  
rare. Omnino alter Hieronymus fuit, cujus exuvias hodiè tumu-  
labimus. Nec ambigere fas est, qvin anima beatissima inter cœlites  
recepta societate gaudeat eorum, qvibus qvoniam ad justitiam eru-  
dierunt multos, illa Doctorum aureola parata est, qvæ vel ipsas  
firmamenti stellas fulgore superet. Nos, ut Optimi deqve publi-  
cœgregio meritisimi Senis honoratior sit memoria, qvod officii  
est nostri, nunc exequemur. Natales suos Vir summè Re-  
verendus, Magnus, Nobilissimus atqve Amplissimus Dn.  
HIERONYMUS KROMAYERUS, Doctor Theologus  
famigeratissimus, officiisqve in universam JESU CHRISTI  
Ecclesiam longè celeberrimus, SS. Theologiæ Professor prima-  
rius, Theologiæ Facultatis h. t. Decanus, ejusdemqve ut & Præsu-  
latus Ingenui Misnensis, nec non apud nos Misnicæ Nationis Seni-  
or, Consistorii Electoralis & Ducalis Saxonici Assessor gravissimus,  
Collegii Minoris Principum Collegiatus, Alumnorum Electorali-  
um Ephorus & Academia hujus Decemvir undiqvæ Spectatissi-  
mus, perantiqve debet ac nobilissimæ in Silesiis familia, qvæ his  
ipsis temporibus nostris Virum maximè strenuum atqve Magnifi-  
cum Augustinum Heinricum à Kromayer & Gros-Sagovvitz, Hæ-  
reditarium in Bukovvin & Grûnaich, Collegii Senatorii in Rep. Ura-  
tislaviensi Seniore, rei qve bellicæ Commissarium summâ cum  
laude extulit. Sed cum militiæ potius Civitatis Sanctæ Nostrum  
destinavisset Exercituum cœlestium Dominus: non Patrem illi mo-  
dò, sed & Patruos tres, & è maternâ stirpe Proavum atqve Abavum  
dedit Theologos longè celeberrimos. Parentem enim habuit ma-  
ximè Reverendum & Excellentissimum Virum SS. Theologiæ Li-  
centiatum Hieronymum Kromayerum, primùm Ecclesiæ primariæ  
Cizensis ad D. Michaëlis Pastorem, postea Superintendentem Plavi-  
ensem. E Patruis verò M. Johannes quidem Sereniss. Vinariæ Prin-  
cipi à concionibus aulicis primariis, universòqve Ducatui Genera-  
lis Inspector fuit; reliqvorum autem duùm alter quidem Erfurten-  
sum



sum Lutheranorum Ecclesiasten egit primarium, alter Pastorem  
Döbelensem. Matrem porrò nactus est Noster Fœminam sui sexus  
ornamentum insigne, Mariam Magdalenam, Consulis in urbe  
Numburgensi de suâ Rep. meritissimi Dn. M. Jacobi Lindeneri fili-  
am; Maternam Aviam Margaretam, duorum Theologiæ Luminum  
D. Nicolai Selnecceri, & Danielis Greferi, hujus quidem filiam, illius  
uxorem. E quibus Selneccerus, gravissimis pro verâ religione tum  
voce vivâ tum calamo gestis certaminibus Virgillustris, ad extremum  
in hâc civitate nostrâ, cui Superintendens fuit, placidissimo fine ac-  
quievit, anno superioris seculi 92. splendide vestitâ metallo tumbâ  
decoratus in Æde Thomanâ: Greferus Concionator primùm Auli-  
cus, post Superintendens Dresdensis, octogenario major vitam  
ipse suam A. 1587. pietatis pleno, variarumque rerum notitiâ non in-  
jucundo commentario complexus est. Sed ad Nostrum ut rever-  
tamur, cum iis, quos dixi, Parentibus natus hanc lucem Cizæ anno  
seculi currentis decimo, Januarii mensis die decimo octavo aspexis-  
set, nihil prius illi habuerunt, quam ut maturè Christo per bap-  
tismum, primam gratiæ portam, filius offerretur, civisque scriberetur  
cœlestis Hierosolymæ. Vix quadrimo desideratissimus Parens Pla-  
viæ surreptus est. Sed prospexit illi Clementissimum Numen de al-  
tero Parente, dum dilectissima ipsi Mater per secunda vota transit in  
Conjugium Viri maximè Reverendi Amplissimi que Dn. D. Erharti  
Lauterbachii, Superintendentis Præsulatus Numburgo- Cizensis &  
Consistorii Episcopalis Assessoris, qui ipsum à teneris ungviculis in  
verâ pietate, optimisque artibus juxta & moribus probissimis cura-  
vit institui. Nec enim tantum in Episcopali scholâ fidelissimis  
Præceptoribus, iisque eruditissimis, Dnn. M. Qventelio, M.  
Fabro, M. Fischero, aliis imbuendum, formandumque tra-  
didit, verum domi quoque Præceptores illi electissimæ notæ pri-  
vatos addidit. Ita tres lingvas cardinales didicit, Latinam, Græ-  
cam, Hebraicam: quin & Logicæ Doctrinæ atque Rhetoricæ ele-  
menta, Naturalis item scientiæ, Sphæricæque, ac Moralis Sapientiæ  
principia tam sibi familiaria reddidit, ut hisce quasi corticibus nixus  
pelago se Academico jam committere posset. Quamobrem anno  
seculi hujus 28. ætatis 18. in hanc nostram Lipsiensem ablegatus,  
inque numerum Alumnorum Electoralium cooptatus Professori-  
bus Philosophis indivulso nexu adhæsit, quin minimum quotidiè  
dili-



diligentem aurium operam navans: ne tamen esset ullus, cuius Auditorium profiteri se non posset, successu temporis alium alio permu-  
tavit. Anno sequente post primum in Philosophiâ gradum sibi col-  
latum in Witebergensẽm Academiam se contulit, cui mox A. 1630.  
& Jenensẽm adjecit, ut harum etiam genio advesceret. Sed cum  
Lipsiensi sua studia consecravisset, redux factus in iis elaboravit,  
quæ sibi ad obtinendos in Philosophiâ summos honores oppor-  
tuna fore intellexerat. Ergò de Eclipsi Solis ac Lunæ, de Anno, de  
Lingvis ut Præses; de tribus causarum generibus ut Respondens,  
è cathedrâ publicè disputavit; nec infreqvens opponentium occu-  
pavit subsellia; per ferias autem caniculares, ut hujus Academiae  
fert consuetudo, Lectorem egit, studiorum fociis eruditas theses de  
Sirio communicans. Collegiis porrò privatis adèò gnavus Audi-  
tor interfuit, ut, ne quid de aliis dicamus, vel solus Dn. Calertus,  
(magni postea nominis Theologus,) intervallo temporis non  
magni sex Collegiorum suorum partem scribere ipsum potuerit.  
Summus in Philosophiâ titulus ipsi A. 1632. collatus fuit. Sed cum  
propter motûs bellicos & serpentem lucem pestiferam mutare lo-  
cum, alibiqve sedem circumspicere coactus foret: ita factum est, ut  
anno demum sequente de conspectis in cælo stellis disputans locum  
inter Magistros quæreret sibi. Ex eo tempore, qui discipulum ege-  
rat hæctenus, induere Præceptorem cœpit, habendisq; assiduis Col-  
legiis privatis tum lectoriis, tum disputatoriis, atqve practicis Logi-  
cam, Oratoriam, Physicam, Astronomiam, aliasqve disciplinas ani-  
mis juniorum felicissimè insinuavit, eo cum fructu, ut ipse sibi gra-  
tularetur, quoties è scholâ suâ prodissè videret Lauterbachos, Za-  
deros, Andreas, Francos, Rehefeldos, Langios, Günzelios, Backios,  
Ibachos, Petermannos, Dauderstadios. Cumqve facilis ipsi vena  
quoqve flueret Poëtica, non semel ipsum novelli Magistri dignum  
habuere, quorum pileos panegyrico carmine decoraret. Quin & *A. 1634. & 43.*  
post annum 1634. Nobilium quorundam Parentum, & aliorum non  
infimi subsellii Virorum liberis ab informatione fuit privatisimâ,  
quòd amari eruditionem suam & expeti ab aliis intelligeret. Enim-  
verò quisquis docentem audivit, ingenuè fatebitur, eximias in eo  
fuisse virtutes eas, quæ requiruntur à bono Doctore. Nam & quæ  
aliis infunderet, ipse hauserat accuratè, & methodo utebatur discen-  
tum



tum ingeniis consentaneâ, & perspicuâ voci moderationem addebat, quin & suavitate quadam pronunciandi condiebat sermones suos. Atque his dotibus cum aliorum sibi comparavit benevolentiam, tum Philosophici Collegii favorem confirmavit. Itaque haud ægrè obtinuit, ut ejus Collega scriberetur Anno 1638. ubi prius habitis pro loco in eadem obtinendo disputationibus binis, unâ de anno magno, alterâ de origine animæ humanæ, dignum se laudatissimo Confessu demonstravisset. In quo Nationis Misnicæ, (huic enim natalis eum tellus admoverat,) Senior factus est bienniò post ex obitu pl. Rev. L. Antonii Kirchoffii. Neque jam tot editis eruditionis Philosophicæ speciminibus inidoneus haberi poterat, cui publici Professoris ardua crederetur provincia. Quare annus 1643. Amplissimo Cunrado Bavaro in Historiarum, quintus post annus Consultissimo Andreae Corvino in Oratoriæ Professione Successorem eum dari vidit, confirmante Collegarum sententiâ Serenissimo Electore Johanne Georgio I. Jam cum diem suum A. 1650. Nobilissimus obiisset Jctus Tobias Heidenrichius, eâque ratione in Minore Principum Collegio vacua facta esset pro Misnicæ Nationis membro sedes, nemo, qui hanc impletet, dignior visus est Kromayero. Scribendorum verò Academiæ nomine Programmatum tam eorum, quæ ordinaria sunt, quam quibus extrâ ordinem varii casûs aperiunt locum, Consilii Perpetui suffragiis delatum ipsi innotuit A. 1652. ubi prius per annos benè multos Antecessorem in hoc negotio suum Excellentiss. Leubnitium operâ gratuitâ sublevasset. Philosophicæ Facultatis Collega per annos fuit novendecim, quousque videlicet ejus Studii Professionem ordinariâ Theologicâ permutaret; Minoris Principum per annos viginti, h. e. usque dum terreno diversorio exolutum coelis eum beata mors inferret. Atque hoc temporis intervallo Decani officio quater a), creandis Magistris Procancellarii bis b), Rectoris Academiici semel c); in Minore verò Collegio Præpositi munere bis d) ita functus est, ut cum primùm ea ipsius dignitas exciperet, simul ferente casu cum eâ Villarum Academiæ Veterum connecteretur Præpositura, quam vocare Magnam solemus.

a) A. 1640. 42.

44. 53.

b) 1641. & 45.

c) 1653.

d) 1656. & 61.

Sed his majora jam dicenda sunt nobis. Delineandus enim Theologus, quem ex ætatis nostræ præcipuis unum esse Cœlestis voluit Numen



Numen, in quod ille fastigium ascendere se non putavit posse, nisi mature vestigia poneret in callē, qui placidis gradibus assurgens nitentem evehit tandem in suprema. Stimulum ad sanctissimam disciplinarum jam puero illi dedenant tot suorum exempla domestica, Abavi Greferi, Proavi Selnecceri, Patris, trium Patruorum, Vitrici Lauterbachii. Quorum complecti memoriam animo non valebat, quin efficaci quodam impetu trahi se in divinæ Sapientiæ sollicitandos amplexus persentisceret. Accessit invitamentum haud mediocre ex Bibliothecâ paternâ, cui hæres unicus non poterat non esse, quem decedens Pater filium unicum reliquisset. Nec alio fine sibi Electoralis stipendii factam non semel prærogationem animadvertibat ab Aulâ Illustrissimâ, quàm ut profectus aleret in sacro Theologiae studio. Huic ergo se, maximè ubi absoluto Philosophiæ curriculum Magisterii titulum adeptus esset, mancipare non vulgari occupavit industriâ, diligentissimeque Alumnorum obiit exercitia, sive audire, quæ à Præceptoribus legerentur, essent jussi, sive disputare, sive concionari, aut declamare. Ergo in sacris illis conventibus, qui in Paulino templo haberi quotannis non rarissimi solent, satis frequens Orator auditus est Kromayerus, jam de triplici victoriâ Christi e), jam de adventu Messiae f), jam de nomine *πρεσβυτεριου* g), jam de Genealogiâ Christi h), jam de lingvarum tum confusione i), jam de Genealogiâ Christi h), jam de lingvarum tum confusione i), jam de Hierosolymitanâ restitutione j), jam de *πρωτευ* k), jam de processione Spiritus S. à Filio l), jam de jejuniis Pontificiorum m), jam de Passione Dominicâ n) verba faciens ad Patres ac Cives Academicos. Ne caniculares quidem ferias elabi sibi passus est, quin semel iterumque faceret periculum, quid posset vel scripturis interpretandis, vel alioquin erudiendâ hoc in genere juventute. Itaque legendi veniam à Summè Reverendâ Facultate consecutus A. 1635. Paulinum illud Rom. 8. *Quos præscivit, hos et prædestinavit &c.* quod auream salutis catenam verè dixeris, explicuit; triennio post epitomen historiæ Ecclesiasticæ, ab Apostolorum usque temporibus repetitâ gestarum rerum inque seculum præsens deductâ memoriâ, prælegit: utrobique per hæc etiam tirocinia tam expectatus Auditoribus, ut magna horum celebritas angusta redderet subsellia; tam gratosus Præceptoribus, ut illud lucidissimum Theologiae sidus Henricus Höpfnerus, quò detexere, quam dixi, historiam

e) A. 1632.

f) 1633.

g) 1634, h) eod.

i) 1636.

k) eod.

l) 1637.

m) 1638.

n) eod.

B

riam





riam, sanè quàm uberem atqve copiosam, posset optimus discipu-  
lorum, post caniculares quoque ferias illi patere septimanam unam  
pateretur, & in eâ sibi destinatas alioquin horas cederet. Tanta fuit  
adhuc discantis æstimatio: tam propensus in Alumnus amor Præ-  
ceptoris. Nimirum ab hujus maximè ore ultra septennium pen-  
dere Noster assidue, hunc suspicere, hujus in se copiam derivare,  
Höpnerus vicissim affectu planè paterno prosequi Nostrum, nec  
eorum intermittere quicquam, quæ ad promovenda ejus studia fa-  
cere viderentur. Neque neglecti tamen sunt cæteri non minore di-  
gni encomio Theologi, Christianus imprimis Langius & Mauritius  
Burchardus, quorum Præsides altero de perspicuitate & efficaciâ  
scripturæ, altero de Sacrilegio Pontificiorum, Lectioe Codicis fa-  
cri Laicis interdientium, publicè respondit Noster: etiam aliquot  
annis postea conscriptas à se pro impetrando superiore gradu the-  
ses de satisfactione, præsidium commodante Dn. D. Johanne Höp-  
nero Superintendente, solidissimè adversus oppugnatores defen-  
dere auditis. Successerunt prælectiones novæ de fontibus scri-  
pturæ canonicæ ac versionibus Bibliorum. Ita nimirum non pu-  
tavit noster adspirare se ad graduum dignitates posse, nisi prius o-  
mnibus numeris peritiam approbasset suam pari cum diligentia  
conjunctam. Ultrò igitur in ipsum convenere tot virtutum præ-  
mia. Nam A. 1640. supremæ Facultatis Baccalaureus; A. 1645. sibi  
alias è morte pientissimæ Matris funesto, Licentiatus; A. 1651. Doctor  
publicè summâ cum laude renunciatus est: Professionem verò  
Sacræ Theologiæ extraordinariam quidem A. 1646. ordinariam ve-  
rò A. 1657. adiit; anno sequente Cizensem Canonicatum adeptus,  
quem postea, cum è vivis excessisset incomparabilis Hülsemannus,  
A. 1661. mutavit Misnensi. Alumnorum Electoralium Ephorum  
idem annus, qui Cizensem Canonicum effecit: Academici verò  
Decemviratûs initium anno 1662. debet. His perpetuis functioni-  
bus accesserunt aliæ non rarò ex earum genere, quæ annui temporis  
aut minore spacio terminantur. Creandis enim in suâ Facultate Li-  
centiatis aut Doctoribus Compromotorem semel o) egit, semel p)  
Viceprocancellarium, cum summè Reverendum Dn. D. Danielem  
Henrici partes hinc suas agere vetaret morbus; Procancellarium qua-  
ter q) Decanatum verò maximè venerandi Collegii quinquies r) ad-  
ministravit, ita quidem, ut in hoc ipso Magistratu constitutum fata-  
lis

A. 1642.

A. 1645.

o) A. 1658.

p) 1659.

q) 1662. 66. 67. 68.

r) 1661. 64. 66.

67. 69.



lis eum hora in caeleste atrium evocaret. His tot muneribus quantā cum fide, quā dexteritate, quā inexhaustā industriā, quo Facultatis ornamento publico, quo fructu discipulorum privato praefuerit, quando nemo tam hospes est in hoc Musarum emporio, qui ignoret, nemo tam lividus, qui obtrechet, tam impudens nemo, qui vocet in dubium, orationis ambitu commemorare supervacaneum est. Nullius indigenti vivit Kromayeri virtus in ingeniis Alumnorum, quos gubernavit; in Juvenum reliquorum pectoribus, quos variā sapientiā saturavit; in Collegiarum animis, quos laetis rebus applausu, adversis solatio, dubiis consilio juvit; in Orbis literati conscientia, quem tot immortalibus scriptis perpetuō sibi devinxit, quodque speramus, ab obitu devincire denuō incipiet, ubi vulgabuntur, quae vivus ipse intra Musei septa continuit, sive quod parū delectaretur aucupio parandae per chalcographos famae, sive quod negotiorum in tot functionibus quotidiana moles non permetteret ipsi adornare sua in usum officinarum. Omnino enim nulla ipsum hora spectavit otiosum. Ac providerat illi quoque Deus de vivendi eā opportunitate, quae solutam a curationibus domesticis tradere totum posset ac parem reddere tantae munerum publicorum multitudini. Equidem cum ad matrimonii foedus animum appulisset, dignum habuit Jctus celeberrimus, suaeque Facultatis jam Ordinarius Vir Nobilissimus, maximē Reverendus atque Magnificus Dn. Georgius Tobias Schvwendendorferus, Consiliarius Electoralis, Curiae Provincialis Assessor, Ecclesiae, quae Martisburgi est, Cathedralis & S. Sixti Canonicus ac Custos, Nationis apud nos Bavaricae, quin & totius Academiae Senior, Majoris Principum Collegii Collegiatus, atque inter Decem Viros Paulini Collegii h. t. Praepositus longē splendidissimus, cui Novembri mense anni 1646. filiam elocaret, pudicissimam omnibusque florentem foeminei sexus ornamentis Virginem Annam Justinam; nec sterile penitus hoc fuit conjugium, cum die 5. Januarii A. 1653. Parentes optimi natum ē castissimis complexibus filiolum oscularentur, cui ex Avo Georgii Tobiae nomen facere visum ipsis est. Verum cum infantem vix triduanum propeo funere efferrent, neque hanc orbitatem nova ulcisceretur postea fecunditas: toti Viro, praecipue, qui sobrietati quā maximē studeret, comestiones & omnes desiderium delicias extremē fugeret, manum injicere occupationes illae potuerunt, quae propriae Theologo Domum Dei aedificant. Ut hac etiam parte non iniqua sit Hieronymi nostri



Γαλιόπερα  
καλλιω.

nostri cum illo Stridonense comparatio, cujus magnam vitæ portio-  
nem solitudo non nisi divinis dedicavit officiis. Atque ut hunc illud  
in ore habuisse proditum est, cum diceret, auribus suis, sive vigilaret  
ipse, sive dormiret, semper intonare vocem, quæ surgere mortuos, at-  
que in iudicium venire jubet: ita familiare Nostro fuit, velut in vicem  
Symboli albis inscribere sententiam, quæ *superna pulchriora* esse con-  
firmans, infixam cœlestibus perpetuò mentem demonstravit. Una res  
Hieronymo veteri ut disparem, ita præferendum etiam fecit. Nam iste,  
qui navus Optimi de cœtero Patris fuit, in iras naturâ propensior  
parùm liberali sale interdum scripta adpersit sua; Nostro per o-  
mnem vitam nihil placidius, nihil humanius, nihil tranquillius  
fuit; domi, foris, publicè, privatim, pacata habuit omnia,  
quippe solis succensere vitiis, non hominibus didicerat.

Ac meminimus hoc illi à Venerando Socero ac Pientissimâ Socru, nec sine lacrymis,  
negatum tam amabilis Viri diuturniorem usum deplorantibus, perhibitum esse ultrò  
testimoniùm, nunquam se vel verbulo Generi, vel gestu minimo offensos fuisse. Tam  
suavem vitam nemo miretur, si mors æquè dulcis est consecuta. Nec enim gravi do-  
lore, aut diurnâ jactatione concussit eum morbus, & anima, cum evolandi tempus  
adveniret, corpus æquè blando itinere deseruit, quàm quo amantium basia ultrò ci-  
troque meare solent. Quinto decimo die mensis superioris adeunda ipsi VVurcena  
fuit: ac fecit intemperies aeris frigidiusculi, ut humore noxio sentiret sibi occupat  
ingravescere. Hoc malum, præsertim, quod laborantem non dejiceret, creditum est,  
vel à diætâ repelli posse. Vigésimus nonus dicti mensis dies periculum detexit, cum  
& calor præternaturalis insolitam sitim afferret, & post biduum validus tumor ner-  
vorum sub cervice principium obsideret, febrisque cubantem omni virium firmitu-  
dine, frustra consumptis remediis pretiosissimis, privaret. Animæ ergò potius  
quàm corporis suscipiendam sibi curam ratus Noster, ubi, quæ fieri se mortuo vellet,  
mandavisset, sacro munitus viatico beatam *ἀνάλυσιν* intrepidus expectavit. Cu-  
jus & qualem paulò ante depinximus, compos factus est Junii currentis die tertio  
circa vespertinam septimam, cum inter mortales exegisset annos sexaginta, menses  
que quatuor cum dimidio. Beatæ animæ exuvias hodiè Terræ mandabimus


hora I, Cui rei ut nostri frequentes adsint, moneri se hoc publico

scripto interpretabuntur, PP. d. 9, Junii

A. C. 1670.

Literis WITTIGAVIANIS.







5 ♦ R


















DD A 6358

ULB Halle 3  
002 920 387



Sb.


10/17

Reho ✓


512











75

# RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ituris Exeqvias

*Incomparabili Theologo*

Dn. D. HIERONYMO KRO.

MAYERO,

Prof. Publ. primarius, suæ Facultatis De-  
cano, ejusdemqve ut & Præsulatûs Ingenui Misenen-  
sis, ac Nationis Misnicæ Seniori, Consistorii Electoralis ac  
Ducalis Saxonici Assessorî, Collegii Minoris Principum Col-  
legiati, Alumnorum Electoralium Ephoro, Acade-  
miæ Decem-Viri,

22

